

Excusatio tibi nulla in die judicii superest, cùm secundum tuam sententiam judiceris, et quod feceris, hoc et ipse patiaris. Pacificos enim et concordes, atque unanimes esse in domo sua Deus praecipit, et quales nos fecit secunda nativitate, tales vult renatos perseverare; ut qui filii Dei esse coepimus, in Dei pace maneamus, et quibus spiritus unus est, unus sit et animus et sensus. Sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis, et ab altari revertentem prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus et Deus possit esse pacatus. Sacrificium Deo majus est pax nostra, et fraterna concordia, et de unitate Patris et Filii, et Spiritus Sancti plebs adunata. Neque enim in sacrificiis, quae Abel et Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur, ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus et justus, dum Deo sacrificat innocenter; docuit et caeteros, quando ad altare munus offerunt, sic et venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege justitiae, cum concordiae pace. Merito ille dum in sacrificio Dei talis est ipse, postmodum sacrificium Deo factus est; ut martyrium primus ostendens, initiatet sanguinis sui gloria dominicam passionem, qui et justitiam Domini habuerat et pacem. Tales denique a Domino coronantur, tales in die judicii cum Domino judicabunt. Caeterum discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, secundum quod beatus Apostolus et scriptura sancta testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis fraternalae poterit evadere, quia sicut scriptum est, Qui fratrem suum odit, homicida est, nec ad regnum coelorum pervenit, aut cum Deo vivit homicida; non potest esse cum Christo, qui imitator Iudei maluit esse, quam Christi. Quale delictum est, quod nec baptismo sanguinis potest ablui? Quale crimen est, quod martyrio non potest expiari? Illud quoque neces-